



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Romanus Hay n. 12

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

cinora celebrare musicum sit exorientis fidei Instrumentum componere, duætricem nauem, quæ tumentis Orbis fluctus calcans, bellicum Christianæ Religionis apparatus, & annonam comportat: fateor sane non modo iucundum hunc meum laborem, sed gloriosum reputasse. *Hæc sunt amoris iacula, quæ tantus vir è cordis pharetra deprompsit, & fideliter latinè reddita. Quo nescio num elegantius dari de Ignatio Parente, Socijs, ac Societate testimonium possit.*

Et Navis Christianæ religionis bellicum apparatus comportans.

12. A ROMANO HAY. *In libro, quem inscripsit Astrum extinctum quest. 8. fol. mihi 549. num. 9. dum quemdam è Societate impugnaret, hæc habet.* Interim vero errores illius, aut similitium, Societati IESV nullo modo adscribimus, id enim stultissimum foret: quippe quam scimus sapientioribus, & sanctioribus Institutis deditam, & occupatam esse: imò cuiusque alterius iuribus conseruandis lingua, & calamo operam dare. Quid enim aliud sonant, tot in lucem à doctissimis Theologis Societatis edita volumina? tot Tractatus de de iure, & iustitia? tot è Summi Pontificis, de Romanorum Imperatorum, aliorumque Principum, ac Præsulum auctoritate, & potestate vulgata Opera, quam ut cuique suum tribuatur, ut errores ac vitia eliminentur, Christiana charitas, & virtutes mortalium animis inferantur, & conseruentur? *Hæc ille.*

Sapientioribus, & sanctioribus Institutis dedita.

Quanta eius in scribendo doctrina?

13. * AB ANTONIO DE S. ROMAN. *in Hist. Gener. India Orientalis lib. 3. cap. 26. fol. mihi 575. Qui cum Ioannis Tertij Lusitania Regis ardentem erga Orientis India conuersionem animum proposuisset, hæc habet.* Non tamen Regi suppetebant idonei ad tantam prouinciam ministri: Deus vero qui semper huiusmodi votis annuit, opportunum prouidit remedium. Tunc enim temporis dum Ecclesiæ castra firmioribus indigebant subsidijs, Ignatius Loyolæus vexillum contra mundi Principem erexit, cuius celebris memoria, & in cælo uiuit, & in terris contra temporis iniurias præualet. Iam sanctissimum illud Societatis IESV Institutum (quod ipse ordinarat) supra

Ignatius laudatur.

Et Societatis Institutum.